

Johann Quistorp


Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Quistorpius, D. & Theol. Facult. Senior. Ad Exequias Quae ... Dn. Theodoro von Oseden/ I. U. Doctori ... Omnes & singulos Academiae Cives invitat : [P. P. Rostochii die XXIIIX, Decembr. M.DC.XLI. Sub Sigillo Rectoratus.]

Rostochii: Kilius, 1641

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn755905393>

Druck Freier  Zugang





KL-241(4)¹

Oldendorp: Warhafftige entschul-
dinge. Rostock, 1533

wurde aus dem Band gelöst.

Steht bei Rara -

KL-241. (4.) <SON>

bestrahlt 2000

PROGRAMMA

QVO
RECTOR

Universitatis Rostochiensis

JOHANNES QVISTOR-

PIUS D. & Theol. Facult.

Senior,

AD

EXEQUIAS
QUÆ.

Viro Clarissimo & Consultissimo

DN. THEODORO

von Gseden/

J.U. Doctori & Judiciij provincia-
lis Megapolitani Fiscali

*Hodie media prima in templo Jacobae à vidua
maestissima parabuntur,*

Omnes & singulos Academiae
cives invitat.


—(o)—

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M, DC, XLI,

76. C. 241. (4)



SI honores ac tituli Docto-
rales possent eos, quibus confe-
runtur, à communi lege ac fato
mortalitatis eximere : Vir Cla-
rissimus & Consultissimus Dn.
THEODORUS ab *Deseden* / J. Utr. Doctol.
haud dubiè exemptus & à moriendi necessitate li-
ber exstitisset : Verum neq; istam dignitatem
neq; ullam aliam in hoc mundo tantâ esse, quæ id
præstare & immortalitatem iis conciliare possit,
hujus defuncti & aliorum exempla testantur. Na-
tus est hic noster, & in oras hujus lucis editus
Flensburgi, notissima & primaria Schleswicensis
Ducatus urbe ex parentibus primariis: patre qui-
dem, Viro Amplissimo & prudentissimo, Dn.
GERHARDO ab *Deseden* / Reip Flensbur-
gensis Consule : Matre vero, CATHARINA
Vörten / honestissima fœmina & ex primario ejus
loci genere orta. Hi parentes filiū Anno 85. seculi
superioris ex se natum ritu Christiano Ecclesiæ,
corpori mystico Redemptoris nostri per S. S. lavi-
crum Regenerationis inseri curarunt, & pro offi-
cii sui

41
eii sui ratione sedulo ac diligenter tenerum edu-
carunt, literis & artibus liberalibus per idoneos
magistros informarunt, ac pietate, timore DEI
aliisq; virtutibus fideliter inbuerunt. Initia li-
terarum ac fundamenta cum bene jecisset in lu-
do patriæ literario, tutorum, qui patrio amore
eum prosequerentur, consilio (nam paren-
tes admodum adolescens amisit) Witeber-
gam ad urgenda & promovenda patriæ initia
missus est, & quidem ea tanto studio coluit au-
xitq; ut Anno 1608. Kal. Septembr. Vir Clariss.
FRIDERICUS TAUBMANNUS Profefs.
ejus Academiæ celeberrimus honestissimo eum
testimonio pietatis, virtutis & eruditionis pro
capto ejus ætatis, eximia ornaret. Hoc igitur
instructus testimonio Witebergæ in hanc no-
stram Academiam se contulit, & in convictum
Clarissimi Viri Dn. JOANNIS KIRCHMAN-
NI Poëtices eo tempore Professoris receptus est:
qui probitate & eruditione ejus ita delectatus est,
ut juvenem tunc amare ceperit, & postea virum
usq; ad vitæ finem vero amore prosequi non de-
stiterit. Hinc in Academiam Giessensem abiit; in-
de Anno 1613. in Tubingensem: ubi primarijs Ju-
re Consultis D. CHRISTOPHORO BESOL-
DO & JOANNI HARPRECHTO sedu-
lam operam publicè & privatim dedit. Anno
1614. in Jhenensem discessit, & Facultatis Juridicæ

Cinqua præminebant Antecessores Clarissimi Dn:
DOMINICUS ARUMÆUS & VALENTINUS
RIEMERUS) permissu alios in privatis collegiis
informandos præsidendo suscepit. Anno 1616. ex
Ithenensi in Argentinensem concessit, & in ea toto
triennio ita vixit, ut celeberrimis Jctis, DIO-
NYSIO GOTHOFREDO, HENRICO
BOCERO, JOANNE Halbritter / JUSTO
MEJERO, JOACHIMO Gluten & aliis com-
mendatus & carus evaserit: Quin etiam inter
eminentiores personas Generosus Dn. WIL-
HELMUS von Spera / singulari eum favore
dignatus fuit: ita ut fama virtutis & eruditionis
permotus Illustris & Generosus Comes Dn. ER-
NESTUS LUDOICUS, Comes in Mansfelt &c.
sibi literis & moribus tali persona convenienti-
bus erudiendo eum præfecerit: quam ille provin-
ciam sic administravit, ut non exiguam ex ea lau-
dem reportarit. Anno 1619. cum Nobilissimo
juvene à Stralendorff Megapolitano, nunc tem-
poris Consiliario Cæsareo in Galliam abiit aliasq;
regiones, non tantum linguæ discendæ grãtia,
sed ut mores quoq; hominum & urbes videret.
Isto itinere cum defunctus esset, & passim lau-
datissimorum virorum testimonia non tralatitia,
sed ex veris animorum sententiis data sibi com-
parasset, in hanc Academiam reversus est, & in fa-
milia.

miliaritatem convictumq; Amplissimi Viri Dn. ARNOLDI Bottichern/ J. U. D. Consultissimi & in hujus provinciæ urbe Ducali WISMARIA hoc tempore Consulis præclare meriti & Syndici integerrimi prudentissimiq; admissus ita se gessit, ut providentia ei divina Virginem pudicissimam lectissimamq; ANNAM Clarissimi & Consultissimi Viri Dn. NICOLAI WILLEBRANDI J. U. D. & Philosophiæ practici, in hac Academia Professoris eximii p. m. filiam conjugem destinaret, eamq; prædicti Dn. Consulis BOTTICHERI privignam, accedente propinquorum consensu facile inpetraret. Sequenti anno 1622. Doctorali in utroq; jure laurea & honore ab Amplissima Facultate Juridica ornatus & meritis honoribus auctus est. Uterq; jactus haud infeliciter ei cecidit; Etenim ex conjugio quaternos ei liberos masculos, quaternas fœmellas divina concessit benignitas: Sed ut binos ex masculis, ex fœmellis totidem paterno Dei consilio in cœlum revocatos præmiserit, alteram partem, quæ matri, hoc ejus obitu mœstissimæ solatio esset, defunctus reliquerit, superstites igitur sunt ex masculis, GERHARDUS & ADAMUS HENRICUS, ex fœmellis, ANNA SOPHIA & CATHARINA, & ipsi, pro ætate Clarissimi patris desiderio tristes matrisq; mœstiam non levi cumulo aggravantes: Spei tamen.


& indolis bonitate non leve solatium eidem promittentes. Doctoralis autem honor & Juris egregia prudentia fecit, ut Illustrissimi ac Celsis. Principes Megapolitani, cum Dicasterium provinciale adornarent Sternebergæ, hunc pie defunctum legeret, & Fiscalis ei officium clementissime commendarent. Quod officium ille ita administravit, ut prudentiam, fidem & industriam ejus non minus ipse Princeps quam proceres provinciales & ordo equester adprobaret. Inciderunt aliquanto post, ea tempora luctuosa, periculosa, exitialia, quæ fecerunt, ut tribunal illud suo loco moveri, & ejus officiales migrare, ac de securiori domicilio sibi prospicere necesse haberent: Eadem necessitas nostro quoque pie defuncto allata fecit, ut & ipse suos lares Sternberga in hanc urbem transferret, ac se, uxorem, liberosque apud nos collocaret. Quod factum est Anno 1637. circa Bartholomæi. Prolatis ab eo tempore ejus dicasterii rebus, noster ille tamen otiosus in isto otio minime fuit: quasi diceret, Nihil agis fortuna, quæ bellica vi nostros labores turbasti; inventa est ratio, qua jus cum dicere non liceat, docere liceat, ac de Jure consulentibus respondere: nam & frequens juvenus huic studio dedita ab ejus docentis ore pendit, & consulentes responsis datis acquieverunt, qui nunc partim Præceptorem, partim patronum, utrumque;


utrumq; præsidem desiderant, & amissum veris lacrumis deplorant. Accessit iudicium Amplissimi & Consultissimi Viri Dn. LAURENTII STEPHANI Professoris & Consilarii Megapolitani: qui cum aliis negotiis impeditus labores Professionis obire non posset, hunc nostrum dignum iudicavit, cui suas in ea re vices commendaret. Verum hoc ejus obitu iste quoq; locus virum amisit, qui eum insigniter ornare potuisset: amiserunt cæteri] Cui fidelem in consulendo & respondendo adiutorem, vix inventuri deinceps alium, qui paria ei faciat. Sed hæc omnia mortis præmaturæ interventu turbata sunt: potuisset enim diutius pater liberis, Doctor Studiosis, Patronus oppressis superesse, & præesse, si Deo supremo rerum nostrarum arbitro, ita visum fuisset. Igitur, non sine ejus providentia factum est, ut ante dies non multos iter Sverinum versus susciperet, ob causam, quæ viduas & orphanos haud leviter tangebatur: quo itinere cum defunctus esset, ægritudo Sverini contracta, & in itinere aucta reversum domi in lectum conjecit, tantaq; vehementia pectoris morbo laborantem invasit, ut, cū sacro corporis & sanguinis Dominici viatico instructus esset, piè placideq; obdormierit anno ætatis quinquagesimo sexto & ex hac mortali vita in alteriã cœlestẽ & æternã commigrarit. Deus opt. Max.

Max. moestissimæ viduæ & relictis liberis efficacem Sancti sui Spiritus consolationem inspiret, & vulnus paterna manu inflictum paterna manu curet, obliget, sanetq;: quod omnes, qui vivum amavimus, nunc cassum lumine lugemus, ex animo precamur. Cives Academici, postulat à nobis Pietas Christiana, Virtus defuncti, viduæ & liberorum afflicto & horum temporum facies, ut quam frequentissimi ad exsequias compareamus, & quod nobis fieri velimus, ultrò nec moniti faciamus; quod tamen pro officii ratione diligenter factum & omnes monitos volo. P. P. Rostochii die xxix. Decembr. cis. inc. xli. Sub Sigillo Reſtoratus.


*Conventus fiet hodie hora media prima in
Templo Jacobo,*











the scale towards document



Quidem diversæ passim Philosophiæ
 circumferuntur descriptiones, quas
 singulas, & recensere, longum; & ad
 rationis, in præsentiarum, libellam re-
 vocare, tædiosum foret. Antiquissi-
 mam ego primâ facio: tanquã à Philo-
 sophorū, quos habemus, Primate la-
 tã, omniumque, rectè philosophanti-
 um, calculó, hactenus approbatã Pla-
 tonis ea est, digna profectò Authore,
 abus tantum voculis, **MEDITATIONE**, puta,
 utatur. Censebat Divinus ille Vir, tantò nos eva-
 des, quantò vivaciùs consideremus mortem. Ne-
 ipso falsus est, cùm, quodcunque in Philoso-
 , circa mortis meditationem reperiamus. Mor-
 , quæ rectam vivendi rationem monstrat, atque
 it, quales esse in morte desideramus. Ea, animum
 quæ à verò nos abducere, aut aliquam, nomini
 m notam inurere possunt. Ea est, quæ do-
 , timorem pellit, tranquillitatem inducit;
 s casuum animum varietates firmat, adversus
 reddit, quando omnia ab eodem impedi-
 tantò paratior sit, sicubi res exiget, statim
 quando est faciendum, statim exire, quo ali-
 ndum, tabernaculo suo. Quæ enim ista mort-
 st, aut socordia, cùm cognati simus DEO, cùm
 terris animal, præter hominem, cognitione.
 DE